



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Literæ quibus supremam à P. Genarali benedictione[m] precatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

clam, palamue offendi in hac sublimi vocatione. Offendi autem saepe numero, & grauiter, proh dolor, quod suscepto ante muneri multis ab hinc annis male responderim: maxime cum inter Professos agerem Prouincialem, concionatorem, & scriptorem multis de causis reprehensibilem. Meam quoque culpam agnosco, quod in Collegiis velut alij non professei habitarem haectenus, multasque commoditates, quae religioso pauperi non congruunt, admiserim ex indulgentia superiorum. Tandem ab officiis Societatis nostrae propriis liberatus, in cubiculo cibum capere, & in privato sacello sacrificare coepi, iamque nec domesticis, neque externis fraternum auxilium praebeo. Itaque piger, otiosus, & socors ego velut arborem sterilem, quae proxima est ruinae, praemefero: indignus & pane, quo vescor, & fratrum subsidiis, qui suam Caritatem ingrato exhibent. Fateor haec officia mihi valetudinario, vel seni, vel omnino seniori gratiose concedi, ut senectutis onus in hac molesta aetate lenius feram: sed iure doleo, veniamque precor, obseruande Pater, quod eiusmodi priuilegiis ad Dei gloriam, meaeque salutis, & debitae gratitudinis usum non utar diligentius, praesertim, ut ad iter proximum meas colligam sarcinas, ac mundo

mortuus nouissima mea recogitem accuratius, ut
 vocante me Domino, verè paratus, & seruus vi-
 gilans deprehendar. Quapropter etiam atq; etiam
 precor P. V. ut pro eximia pietate sua me vilem, ac
 infrugiferũ suæ filium, suæ palmitem æterno Crea-
 tori, præsertim inter sacrificadum aliquando com-
 mendet: ac deinde ut me, licet indignũ, participem
 faciat priuilegiorum, & gratiarum spiritualium,
 quarum potestatem ad suorum filiorum consolati-
 onem accepit à sancta sede Apostolica traditam: ac
 demum ut aliquam impuro mihi pœnitentiam in-
 iungat ad uberiores paternæ benedictionis gra-
 tiam per qualemcunque substitutum misero elargi-
 endam. Datum Friburgi Heluetiorum. Kal. Au-
 gusti, 1596.

R. P. V. inutilis filius Petrus Canisius.

Responsio Pa-
 tris Generalis.

Ad has literas quemadmodum Claudius Ge-
 neralis rescripserit, si quem nosse iuuat, exemplũ
 est tale.

Summa cum animi mei voluptate, ac lætitia le-
 gi literas R. V. in quibus videbam quo ipsa sen-
 su de se scribat, & qua cura Domini aduentum, me-
 lioremq; vitam expectet. Benedictus Deus, qui hac
 inspirat R. V. ut ita sui similis perseueret, fratresq;
 nostros,